



<http://www.biodiversitylibrary.org/>

**Nova acta Academiae scientiarum imperialis  
petropolitanae.**

Petropolis, Typis Academiae Scientiarum, 1787-1806.

<http://www.biodiversitylibrary.org/bibliography/9519>

**t.2 (1784):** <http://www.biodiversitylibrary.org/item/38498>

Article/Chapter Title: #112pallas

Author(s): Petrus Camper

Subject(s): fossils

Page(s): Page 250, Page 251, Page 252, Page 253, Page 254, Page 255, Page 256, Page 257, Page 258, Page 259, Page 260, Page 261, Page 262, Page 263, Page 264, Text, Illustration, Illustration, Foldout, Text, Illustration, Illustration, Foldout

Contributed by: American Museum of Natural History Library

Sponsored by: Biodiversity Heritage Library

Generated 1 December 2016 6:15 PM

<http://www.biodiversitylibrary.org/pdf4/058761100038498>

This page intentionally left blank.

COMPLEMENTA VARIA  
ACAD. IMPER. SCIENT. PETROPOLITANAE  
COMMUNICANDA,

AD  
CLAR. AC CELEB. PALLAS;

Auctore  
PETRO CAMPER.

---

*Conuent. exhib. d. 6. Sept. 1787.*

---

Praefatio.

**S**celetorum diuersorum animalium, in primis quadrupedum numerum magnum, in initio studiorum meorum collegi eo, quam maxime, scopo, vt Galeni administrationes anatomicas intelligerem, et ex Anatome comparata Corporis Humani fabricam euidentius inlustrarem, et facilius. In animalium capitibus vero maximam diuersitatem obseruans, tantam eorum mihi comparavi copiam, vt ultra nonaginta in Museo meo numerem crania, praeter illa Cetaceorum, Trichechorum, Manatorum, Dugonum etc.

Mechanismo omnium, ac dentium varietate stupenda, qua generantur, ac reconditi sunt, rite examinatis, coepi fossilia Crania, et ossa varia vndequaue mihi comparare, vt, quid veteri orbi contigerit, determinarem plenius, et curatius. De  
Cranio

Cranio Rhinocerotis differens in post. Parte Tom. II. Actorum huius Acad. p. 202. Credere nondum ausus sum, Animalium diversorum extinctionem, seu annihilationem, tamquam Diuinae prouidentiae repugnantem! Hodie vero quam plurima extinctorum specimina, in Museo meo reperiunda, et meditationes magis seriae persuaferunt mihi, sapientiae Diuinae non repugnare, legem, qua res illas, vel animalia illa desinere iubeat, simul ac scopo primario, nobis incognito, satisfecerunt penitus. Conuictus etiam cum maxime sum, orbem nostrum variis illis, ac horrendis catastrophis fuisse expositum aliquot seculis, antequam homo fuit creatus: numquam enim hucusque, nec in vlllo museo, videre mihi contigit verum os humanum petrifactum, aut fossile, etiamsi Mammonteorum, Elephantorum, Rhinocerotum, Bubalorum, Equorum, Draconum, seu Pseudourforum, Leonum, Canum, Vrsorum, aliorumque per plura viderim ossa, et eorum omnium haud pauca specimina in Museo meo conseruem!

Operae igitur pretium fuit viuientium ossa bene cognoscere, vt fossilia ad sua genera ac species reducere possemus. Ossa non modo, sed et dentes pleniori examine digna euaserunt, vt species aliquot definirentur curatius: Ex incisuiis enim solis asiaticos Rhinocerotes ab africanis, et Apros aethiopicos a se inuicem distinguere licet. Adserere ex eodem principio audeo Mammonteum animal extinctum non modo esse, sed nullam omnino habuisse cum Elephanto similitudinem! Etiam Elephantos, et Hippopotamos olim giganteos fuisse; quemadmodum Bubalos, Alcesque, Vrsosque, giganteos reuera extitisse vel ipsis speciminibus, vel iconibus fidelibus ad obiecta ipsa a me ad amussim Londini factis, euidentissime, hoc momento, demonstrare queo.

Academia Petropolitana, Musei Brittannici Curatores, ac Viri per plures in litterarum orbe Celebres, inter quos *Hoffmannos*, *G. Hunteros*, *Palierios*, *Pallasios*, *Burtinios*, *Forsteros*, *Soemmeringios*, *Menkios*, *Banckfios*, *Burkeos*, *Watsonos*, *Vosmaerios*, aliosque nominare licet, generositate incomparabili Museum meum locupletarunt.

Egregia quoque specimina in primis ex Westphalia mihi adtulit filius meus *Adrianus*, qui in Gallia similiter multa ex monte martyrum exemplaria pro museo meo collegit. Taceo, quae ex monte *St. Petri* ab haeredibus *Hofmanni* et aliunde emerim.

Thesaurus hoc modo pedetentim collectus indigebat indies pleniore examine, indigebam igitur ipse necessario omnis generis ossibus rariorum quadrupedum, praecipue si classem non modo, sed ordinem, immo genera ipsa, ac species animalium determinare vellem, ad quae ossa illa fossilia, vndeque acquisita, pertinuerunt.

Exemplis iam veritatem hanc illustrabo.

### De Cranio Bifontis fossili.

§. 1. Exhibuisti, Vir clarissime, Tom. XVII. Nou. Com. Acad. Imp. Scient. Petrop. pro Ann. 1772. p. 576. cranium fossile Bubali, quod succincta descriptione et figuris tribus valde nitidis illustrasti, pro solita tua prudentia, speciem determinare recufasti, dubius ad Bubalum capensem, an vero ad Bifontem pertineret americanum? *Cl. Vosmaerius* mihi ante aliquot annos dono dederat Bubali capensis cranium egregium, integrum, siccatum: sed anno praeterito, ex consensu Inlustrium Musei Brittannici Curatorum, postquam rara quaedam pe-  
tre

trefacta, ad permutanda duplicata, miseram, acquisiui Bisontis Americani cranium, cute similiter ornatum; maceraueram ambo, vt depurata conferre possem cum accuratissimis figuris, quas de hoc fossili cranio, quemadmodum etiam de Vro dedisti.

Animaduerti, praeter descriptionem, in vniuersum fossili cranio et recenti Bisonti conuenientem, lacrymales in ossibus vnguis foueas, quas Bubalus capensis omnino non habet. Frons ipsa Bisontis, et cornuum bases insuper respondent adeo exacte iconibus tuis, vt ouum ouo similius esse nequeat! Fossile cranium tamen minus grande est recenti, quod iterum capensi multo minus est. Nullus dubito, quin specimen, mihi concessum, ipsum id siccatum Bisontis caput sit, quod olim in Museo Brittannico a Te visum p. 601. ib. memorasti.

Mirabar Ill. Pennantium *Hist. of Quadrup. p. 27.* adseverantem, Te non de fossilibus, sed de recentibus egisse craniis, super glaciem ex America allatis; quum euidenter ex toto tenore constet Te fossilia sola collineasse (\*).

Praeter lacrymalium fouearum, et cornuum dissimilitudinem in Capensi Bubalo, obseruaui complementa ossium ma-

---

(\*) Crania a me descripta in plaga arctica circa ostia fluuii Ob, passim in superficie terrae reperta sunt, et omnino recentia, nec fossilia, ab atmosphaerae tamen variationibus corrupta et cariota, videbantur. Mihi itaque omnino verosimile visum est, Bisontum americanorum cadauera in oceanum arcticum casu delata, cum glacie vel et fluctibus ad nostras oras adpulisse, vbi facile feras longe a littore cranium et ossa distraxisse credas. *Pallas.*

xillarium, seu ossa intermaxillaria ad nasi ossa vsque in capensi, sed longe minus alte, et nullo modo eousque adscendere in Bisonte.

Ossa ea deperdita videntur in specimine Acad. Imperialis; alterum integrum, postea detegendum, etiam hanc similitudinem comprobabit. Concludo ex collatione horum cum fossili, Cranium, a Te descriptum ad Bisontem Americanum referendum esse.

*Ill. Comes de Buffon* in Suppl. Tom. 3. pag. 57. quaedam satis laudabilia de Bisonte addit, sed quae scopum nostrum non spectant; videtur Boues omnes, etiam Vrum pro eiusdem speciei animalibus habere et gibbos a climate et nutrimento deducere. Addidit figuram Tab. V. pag. 64. quae cornuum illam flexuram, adeo characteristicam in hoc animali, non exprimit. *Ill. Buffoni* s dein Bisontis Americani longe meliorem iconem dedit in Supplem. Tom. VI. pag. 46. Tab. III. in vniuersum non admodum correctam, quemadmodum etiam non est eius obseruatio, ac si cornua originem communem haberent, pag. 47. In cranio musei mei cornua visibiliter separata sunt, minus tamen quam in Bubalo capensi. Cranium longum 2 ped. 4½ poll. pag. 47. ex vno centro oculi ad aliud 1 ped. 4 poll. ib. Pupillam non transuersalem, quemadmodum in omnibus ruminantibus, sed rotundam depinxit.

### De Bubalo giganteo.

§. 2. In Volumine XIII. Nou. Comment. eiusdem Acad. pro Anno 1769. Bufalum giganteum fossile admirabili cum perspicuitate descripsisti. Dissertationis illius pretium magnificare didici ex summa generositate Sereniss. Principissae *Daschkow* Acad. nostrae Directricis, qua placuit meis ita satisfacere  
desi-

desideriis, ut inter cetera, de quibus alia occasione, ad me mitti curauerit summam partem Cranii Bubali eiusmodi, quod, cum ingenti Asiatici recentis cranio in meo museo collatum, duplo maius repertum fuit.

Ex cornuum positione mihi probabile videtur non esse Bubali, sed alterius speciei Boum fragmentum: resupinata enim cornua sunt Bubalis omnibus, quotquot crania vera, vel figurata viderim: (\*\*\*) notum praeterea est omnibus, a Chinesibus per plures similibus cornibus ex porcellana fictos utique venundari! Ludit tamen aliquando Natura in his, uti in aliis bobus nam ex Asia accepi a *Cl. van der Steege* egregium Bubali cranium sine cornuum vlla nota, et ab altero quondam meo discipulo, quem mors praematura nobis eripuit, *Hoffmanno* cranium Bubali Asiatici cornibus adeo longis instructum, ut apices octo pedes rhenol. a se inuicem distent! cornua ipsa 5 pedes sint longa! chorda, ex basi ad apicem incuruum ducta 4 ped. cum 3 poll.; videtur *Sloanius* Phil. Trans. abridgd by *Badham*, Tom. VIII. pag. 191. similem lusum cornuum indicasse: haec pedes 6. longa fuere, chorda 4 ped. 5 poll. cet.

Ex positione cornuum *primo* ad Bufalos non pertinuisse censeo; *secundo* quod foveam lacrymalem habuisse videantur, quibus Bubali carent omnes.

Quaeri

---

(\*\*) Crania gigantea sibirica equidem cornua minus reclinata habent vulgari Bubalo domestico, magis tamen quam Vrus, et carinata ut itidem Bubalis sunt. Forfan aliquando innotescat magis maxima illa stirps Bubalorum in alpino iugo Tibetana regna circumambiente spontanea, cuius in descriptione Bubali grunnientis mentionem inieci; et quam nunc suspicor crania nostra fossilia maxima quondam suppeditasse. *Pallas.*



Quaeri igitur nunc potest, an non ad Vrum pertinere potuerit? Datur sine dubio aliqua similitudo, verum foueae lacrymales adeo insignes in Vri fig. 4. Tab. XII. et adeo characteristicae in Ruminantium classe, vt quae in eadem specie, licet modis diuersis figuratae perpetuo adsunt, in giganteo cranio Tab. XI. fig. 1 et 2. tantummodo delineamentum quoddam fouearum praebent, et exoriuntur altius.

In Bobus nostratibus ne nota quidem talis foueae reperitur, quam ob causam mihi non arridet *Linnaei* adnotatio edit. XII. pag. 98. tamquam si Vrus varietas esset Taurorum Europeorum? Doleo interea quam maxime quod eiusmodi crania mihi comparare nequeam, pondus enim insigne adde-  
rent ratiocinationibus nostris de Orbe antiquo.

Admiratione autem dignum mihi videtur, quod in Promontorio freti Gaditani, seu in Rupe Gibraltarenfi ac in insula Lissa prope Dalmatiam, tantus numerus ossium dentiumque ruminantium reperiatur! Fateor me in egregio specimine Musei Brittan. Londini scalpris variis denudasse dentes animalis cuiusdam rapacis, forte Leonis; etiam cuniculorum maxillas inferiores quatuor, in paruo rupis Gibraltarenfis fragmento, quod mihi dono dederat *Ill. Eques Bancks*, dum ad finem An. 1785. Londini morabar. Innumera equidem habeo fragmenta ex ea rupe, sed omnia ossibus maiorum ruminantium et eorum molaribus referta, inter quae *Limacum terrestrium* variae cochleae.

*Nob. Watsonius* similiter dono mihi dedit fragmentum ex insula Lissa, in quo maxillae pars cum quatuor molaribus ruminantis iunioris, nostra ouium specie non maioris.

Cuncta illa fragmenta conglutinata sunt inter se materia stalactitica fusca, subrubra, cui interjacet saepe spathum informe, fragmenta marmoris coerulei, aliquando argilla digitos maculans, et cochleae variae terrestres. Mirum sane, quod in locis tam dissitis, vti est Dalmatia a promontorio Freti Gaditani, inter quae tot regiones et maria reperiuntur, ossa sibi plane similia, eodem modo inter se conglutinata rupes illas constituent, materies lapidea in plerisque praeprimis ossium spongiosorum, vertebrarum v. c. ac digitorum cancellos impleuerit, ossaque albicantissima firmitatem suam satis bene retinuerint. Cochleae vero semper vacuae. Ossa in fragmenta minuta diffracta, et inter se confuse mixta!

### De molaribus Elephantorum giganteorum, et eorum ossibus.

§. 3. De ossibus giganteis agens praeterire nequeo, me in Museo Britannico vidisse dentes molares Elephantinos adeo ingentes, quo ad laminarum crassitiam, vt etiamsi ex primordialibus fuerint, triplo maiora animalia fuisse videantur, quam maximi Elephanti, qui hodie extant.

Eadem proportio locum habet in Elephanti osse femoris fossili, quod in Hollandia repertum et a me descriptum est in *Actis Harlem. Tom. XII. p. 379.* Id., licet epiphyses utrinque absint, longitudinem habet 52 poll. seu 4 ped. cum 4 poll.; ac tredecim pollicibus maius integro osse femoris Elephanti asiatici senio mortui, cuius aliquot ossa Londini emi. Circumferentia huius est 11 pollicum, fossilis vero 15 poll. in media parte; patet tamen ex epiphysibus deperditis os femoris fossile iunioris fuisse animalis.

## De dentibus molaribus Hippopotamorum giganteorum.

§. 4. In eodem museo ad amussim delineavi molarem dentem medium Hippopotami gigantei, qui superat quater maximum illum molarem Hippopotami cuius figuram a me delineatam descripsisti Tab. VIII. Act. Acad. Imp. Scient. Petrop. Tom. I. P. II. p. 214.

## De Alcibus giganteis Hiberniae.

§. 5. Inter gigantea crania numeranda quoque sunt illa Ceruorum, seu Alcium vti appellantur in Hibernia obvia, cuius notabile exemplum prostat in Archaeolog. Brit. Tom. VI. Anni 1785. Nob. D. *Percy egregium* id cranium emit: distantia inter extremos apices cornuum erat 14 ped. et 4 poll. Latitudo frontis 11 poll. cum  $\frac{1}{2}$ . etc. Cel. *Pennant* meretur qui super his consulatur, Hist. of quadr. p. 98.

Ipse possideo duo specimina, satis integrum vnum, sed adeo diuersum a recentibus Alcibus, vt nullus dubitem, quin extinctum sit genus, quemadmodum etiam Cel. *Percy*, ac *Pennantio* visum fuit.

Magis audacter diuersitatem inter recentes, et fossiles Alces adfirmare audeo, non modo ob cornuum dissimilitudinem, sed et ob varietatem totius compagis. Eius interea humanitatis fuit Nobilissimus D. *Steblin*, vt ex Lithuania adhuc miserit perelegans cranium cum cornibus Alcis, quod, licet iunioris animalis, longius tamen est fossili, et magis tenerum. Fossile enim est latius, robustius, et annosi praeterea animalis. Cornua terribiliter ampla, et densa.

Narium apertura  $4\frac{1}{2}$  poll. longa, duplo minor illa recentis capitis. Ossa intermaxillaria ossibus nasi inserta, quae tantum ad dimidiam altitudinem ossium maxillarium adscendunt in recenti. Verbo, diuersa et ad ceruos magis accedens species mihi videtur et extincta!

Robur haec addunt obseruatis tuis Tom. XIII. p. 468. animaduertendum tantum, crania illa, licet bipedalia, minus longa esse recentibus.

Monere hac occasione oportet, capita pleraque adultorum Boum, Bufalorum, Equorum, Camelorum, Camelopardalum, Rhinocerotum, Hippopotamorum, duos pedes ad minimum, et in vniuersum longa esse.

### De ossibus Mamonteis.

§. 6. Memini me in Parte II. Tom. I. Actor. Academ. Imp. Sc. Petrop. p. 219. ad finem p. 222. coniecturas meas proposuisse circa ossa Mamontea, eorumque molares, atque plausibilibus argumentationibus, Ill. *Hunteri* obseruatis fidentem, monstrasse: Mamonteum animal Elephanto simile, atque proboscide ornatum fuisse; quia in Phil. Transf. Lond. Vol. 58. p. 45. pro certo statuit habuisse *dentes exsertos*, sed *intortos*!

Ab ipso *W. Huntero*, cuius amicitia frui sum ab Anno 1746. acceperam Anno 1778. dentis talis exserti plus minus incurui, 2 ped. cum 4 poll. longi, partem solidam, 12 poll. crassam, non procul a fluuio Ohione Americes repertam: hac epistola concomitatam: London Dec. 24. 1778. *I sent to you the tooth of the american incognitum for your museum, — this is but a third part of it.* Id est, „mitto Tibi dentem incogniti „Americes pro tuo museo — est tantummodo tertia pars „totius.“

Substantia eius interim, et fibrarum decursus ebur Elephantinum mihi videntur declarare. Nullos vero molares huius incogniti nisi pictos, nulla ossa eius vllibi videram, etiamsi Musca Europae maxime celebria fatis curiose examinassem; carniuorum tamen non fuisse animal p. 202. ex molarium figuratone simpliciter, determinavi.

Nouum deinceps curiositati meae stimulum addidit Celeb. *Michaëlis* iam Marpurgi Celebris Med. Professor. Is ex America redux ad me misit figuram palati Mamontei magnitudine naturali, atramento Indico egregie depictam. Obstupui!

Quatuor ei inhaerebant dentes molares, posteriores duo magni, minores anteriores, figurae eiusdem et formae, quales iam plures inprimis a *Collinsono*, a *Guil. Huntero*, atque a *Comite de Buffon a)* repraesentatos videram.

In hoc palato nullus erat pro exsertis locus, dehiscabant ossa intermaxillaria ipsa, quae erant exigua! Omnes igitur meae coniecturae eo ipso, momento vanae non modo, sed ridiculae euadebant. Scilicet, si huic *Cl. Michaëlis* figurae, vnicuae, fides habenda esset. Tanto autem cum artificio exarato erat pictura, stylo adeo naturali et vero, vt impossibile mihi videretur, fictam, seu ex imaginatione Pictoris factam fuisse tabulam!

Arri-

---

a) In Supplem. Hist. Nat. Tom. V. *notes justificatiues* p. 511. Tab. I. et II. Radices mamonteorum molarium non bene sunt repraesentatae, deficient transuersales annuli, quos omnes habent; supposuit Ill. Comes ib. p. 512. vtrunque quatuor vel sex adesse. Tab. V. quidem eiusdem animalis, sed magis detritos depingi curauit. Fig. *Collinsonii* Phil. Transf. Vol. 57 Tab. XXII. p. 469. egregia quidem, sed annulos non exprimit.

Arriserant mihi valdequam, quae ib. p. 217. de Museo vestro Academico pronunciaſti: Mamontea oſſa tam varia, et tanto in eo reperiri numero, vt ſperare auſus ſim, me duplicata quaedam, ſi Sereniſſimam Principiſſam *Dafchkaw* ſupplicarer, ex immenſa illa collectione haud difficulter acquiſiturum; reſpondit autem, duplicata Mamontea, in ditiffimo ſecus, Imperiali Museo non fuiſſe reperta \* \* \*). Gratioſe tamen ad me miſit *Elephanti inferiorem maxillam foſſilem*, gigantei *Bubali cranium*, cum *dente exſerto valde incuruo*, maximam partem decompoſito, non Mamontei monſtri, ſed veri Elephanti. Longitudo externe menſurata eſt 5 ped. cum 2 pollicibus, chorda e baſi ad apicem ducta = 3 ped. cum 4 poll. Circumferentia pedem magna eſt; interna cauitas pedem cum octo poll. profunda reperta fuit.

Londinum interea profeſtus in Museo Britannico permultos offendi, ingentesque molares ex America olim aduectos, atque maxillae ſuperioris ſeu palati fragmentum, quod exactiſſime reſpondebat Iconi a Celeb. *Michaëlis* mihi communicatae.

En vtriuſque Monogramma! Patet ex ſimilitudine roſtrum huius animalis fuiſſe anguſtum nimis, quam vt exſertos tantae

K k 3

mo-

---

( \* \* \* ) Mamontea oſſa a Ruſſis, praefertim per Sibiriam, vulgo appellantur Elephantina, quae ſumma abundantia foſſilia in ſtratis ſuperficialibus reperiuntur; eaque in Museo noſtro Academico copioſe proſtant, immo dentes eburnei foſſiles ſed recentiores, a Portu S. Archangeli vulgo pro tornatili opere exportantur. Ill. *Campero* autem placuit incognitae, per Americanas foſſiles reliquias celebratae et neſcio annon forte inter Cetacea marina adhuc latenti Belluae Mamonteuum nomen, contra noſtratum mentem, adpropriare, cuius oſſa nunquam, dentes rariffime apud nos repertos fuiſſe alibi iam monui. Mihi omnino tantum duo imperfecti iſti molares eius, ad Demam ſi. inter ferri mineram effoſſi innotuerunt, quorum alterum quondam deſcripſi et delineavi. *Pallas.*

molis, quantae ipsi praeprimis, a *W. Huntero* tribuuntur, continere potuerit. Respondebat huic palato maxilla inferior eiusdem Musei a *W. Huntero* *Phil. Transf. Vol. 58. p. 42.* omni cura repraesentata; continet maiorem dentem cum tuberibus quatuor, deficit anterior minor. Adnotavit *Cl. Michaëlis* huic maxillae similem repertam fuisse cum fragmento palati.

Verisimile igitur est, animal illud magnum quidem, sed nullo modo carniuorum, neque Elephanto simile fuisse, quid de eo sentiendum sit, iam incertus haereo! Vobis solis, sodales Inlustrissimi! contingit adire Corinthum. Agite quaeso, et examine omnia illa ossa fossilia quae in Museo Acad. Imperialis tanta copia reperiuntur; et facito ut cognitum euadat animal cuius reliquiae tot *Celebres Hist. Nat. Cultores* frustra occupauerunt, atque superarunt.

Si ossa femoris, forte fortuna, interspersa reperirentur, attendendum sedulo ad eorum capita: carent Elephanti ligamento tereti, quod in Rhinocerotis ossis femoris capite adest: Os femoris Rhinocerotis asiatici magnam, compressam, sed rotundam habet apophysin infra trochanterem. Illud Elephanti est aequabile, absque vlllo processu, excepto trochantere, qui in utroque simplex est.

Spina scapulae in Elephanto furcam repraesentat, in Rhinocerote vncum, deorsum incuruatum et retrorsum.

Hac ratione posteri lente quidem, sed his instructi observationibus totum tandem mysterium extricabunt. Gaudeo interea quammaxime, quod, venia Inlustrissimorum Britan. Musei Curatorum, ex duplicatis duos dentes molares Ohionenses, egregios, mihi comparare licuerit; aliosque delineare, inter quos  
pro-

procul dubio ille, cuius coronam *N. Grewius* descripsit, atque repraesentavit a parte superiore Tab. 19. nomen ipsi dans dentis Animalis marini. *R. Waller*, qui Opera Immortalis *R. Hookii* posthuma edidit, hunc eundem dentem Tab. V. p. 285. explicuit, tanquam ad Balaenam, aut Elephantum pertinentem.

Vidi non modo saepius, sed, uti monui, accuratissime delineavi, observavique esse similem mamonteis, sed iunioris animalis, cuius molares radices nondum egerant. In fragmento maxillae superioris cuius monogramma addidi, dens molaris dexter anterior eandem habet faciem. Nuper in Burgundia similis repertus est.

Id autem in omnibus, etiamsi longissimis radicibus instructis, verum deprehendi, quod intus caui sint: generantur igitur humanorum, non Elephantorum molarium instar. In his enim, ex multis lamellis, sibi applicatis dens formatur solidus, in quarum meditullis crusta vitrea recondita est. In illis primum coronae crusta vitrea oritur, dein radicum principia annulatim, quorum caua implentur substantia minus dura pedetentim deposita.

Praeterire interea nequeo ex Dentium molarum magnitudine ac mole concludendum non esse ad ipsam animalis magnitudinem, aut molem. Dentes enim in omnibus, quotquot novi, animalibus rationem nullo modo habent ad corporis vastitatem, sed ad naturam alimentorum, quae usurpant. Elephas molares decuplo maiores habet Rhinocerote, forte decies quinque maiores, licet decuplo maius non sit animal. Equus quamquam minor Camelopardali, dentes maiores habet. Apri aethiopici similiter ingentes habent molares, etiamsi nostratibus aequale, immo minus habeant corpus. De exsertis idem pronuntiandum.



In omnibus attendendum est ad capitis magnitudinem relative ad colli longitudinem: in iis enim in quibus molares valde magni sunt, collum est breuius.

Pronuntiare nunc certo licet, Mamonteum animal non fuisse carniuorum, quoniam neque incisores, neque laniarios habuit; probabiliter vero solidioribus radicibus fuisse nutritum, vel durioribus arborum ramis. Omnia enim, quae organicam habent structuram, animalia plantaeve sint vel insecta, alimentum praebent omnis generis viuientibus animalibus.

Haec si grata fuisse Academiae Imperiali percepero, Supplementa reliqua, de Apris Aethiopicis, de Rhinocerote Asiae et Africae, de Didelphide Asiatica, et Myrmecophaga Capensi, quae parata sunt, debita cum reuerentia data occasione mittam.

Explicatio tabularum. Tab. VIII.

- A. B. Dens molaris anterior maxill. superioris videtur iunioris animalis fuisse.
- B. C. Posterior lat. dextri.
- D. E. Anterior sinister.
- E. T. Posterior.
- G. et H. Sulci pro nervis palatinis.

Tab. IX.

- A. B. Sinus  $\frac{1}{4}$  vel plus minus  $\frac{1}{2}$  poll. profundi, intus glabri.
- C. D. E. C. D. E. Offa intermaxillaria.
- D. E. D. Fissura, quae recepit procul dubio canales incisivos.
- F. G. H. Molares anteriores.
- I. K. Posterior.







